Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 201
Quelle:
Copyright:

ctius in *Scherfling Auſtr.* ſuper. Praeſens ejus Opus praeclari in *Job Commentarii Pars* I. eſt deſinens in *Cap.* XX. Exponitur praevie uterque etiam *Hieronymi* Prologus: *Cogor per ſingulos* &c. et: *Si aut fiſcellam* &c. Initium ipſius *Jobi* eſt: *Vir erat in terra hus nomine Job. Sicud viſum in preterita lectione de cauſis 4^or^. ſcilicet materiali formali* &c.

CXXXIII.

U. 121 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 193. 4. praecedenti per omnia geminus eſt memorati *Commentarii Pars* II. a *Cap.* nempe XXI. ad *Jobi* finem pertinens. Init: *Reſpondens autem Job dixit. Audite queſo ſermones meos &c. Terminatis verbis Sophar, et per conſequens obiectionibus* &c. Nota Poſſeſſoris, ut ſupra, et ad caput, et ad calcem adſcripta eſt. Sed ad calcem haec praecedunt: *Et ſic eſt finis huius operis. Deo gratias. Anno domini M^o^ CCC^o^ 97. ſexta die menſſ. ſeptemb.*

CXXXIV.

R. 37 * Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 72. f. per duas columnas, non una manu, ſed nitide exaratus, et rubricis diſtinctus, annoque 1721. Bibliothecae Palat. oblatus a F. *Thoma Maria Alfano* O. P. qui titulo Theologi et Praedicatoris *Caroli* VI. Imp. Librisque variis editis celeber, teſte *J. M. Mazzuchellio* in *Scritt. d'Italia T. I. P. 1. p. 471.* diem claſit *Neapoli* a. 1742. complectitur: I. *M. Aur. Caſſiodori Senatoris* Scriptoris Sec. VI. *Expoſitionis in Pſalterium* ex *Auguſtino* potiſſimum congeſtae tantum, quantum mox ediſſeram. Praemiſit haec Librarius: *Diuerſas notas more maiorum certis locis eſtimauimus affigendas. has cum explanationibus ſuis ſubter adiuncximus. ut quicquid lector uoluerit inquirere. per ſimilitudines earum ſine aliqua difficultate debeat inuenire.* Pinxit itaque XIII. diverſas minio Notas, addito ad quamvis titulo, quem ſubjungo: *Hoc in idiomatis. id eſt. propriis locutionibus legis diuine. Hoc in dogmatibus ualde neceſſarijs. Hoc in definitionibus. Hoc in ſchematibus. Hoc in etemologicis. Hoc in interpretatione nominum. Hoc in arte rethorica. Hoc in topicis. Hoc in ſilogiſmis. Hoc in arimethica. Hoc in geometrica. Hoc in muſica. Hoc in aſtronomia.* Notae hae, ut videtur, omnia *Caſſiodori* Opera reſpicere debebant, ſed in noſtro Codice jam ad v. 3. *Pſalmi* I. in his verbis: *Bene ut arbitror ligno fructifero comparatus eſt dominus chriſtus*, abrumpuntur: Praefatio hoc rubro eſt: *In chriſti nomine incipit prefatio expoſitionum in pſalterium.* Initium: *Repulſis aliquando in rauennati urbe ſollicitudinibus* &c. Lectio ipſa cum edit. *Garetii Rotomag.* 1679. T. II. *p. 1. f.* optime concordat.

II. *fol.* 9. ſequitur alia manu: *Diſceptatio ſinodalis inter Regis aduocatum et romane eccleſie defenſorem.* Προγυμνασμα eſt *Petri*